Hæc acervatim congessi sine figuris & deductione, velut nota Geometris ad quos mihi res est. Neque finis exemplorum foret si liberet prosequi. Universam siquidem Geometriam convellit & evertit hæc fallax methodus arguendi.

Fundamenta ipsius esse debilia.

VErum enimverò audiendi sunt vel erroris patroni, ut ritè condemnentur. Allegant itaque imprimis Instantias plurimas, in quibus hæc methodus veritatem tetigit. Sed, pace tantorum virorum dictum sit, neque Geometriam neque Logicam sapit hæc argumentatio; postquam & Logica docet centum exemplorum myriadas regulam universalem non sancire, si vel una sit in oppositum clara instantia; & non sit è Geometrarum disciplinâ ab exemplis, sed à definitionibus & de se notis Axiomatibus, firmitatem petere.

Replicant, & acutè; Se posse tales limi-